

# **De hydrothorace : dissertatio anatomico-chirurgica.**

## **Contributors**

Burard, Guillaume.  
Sue, P. 1739-1816.  
Royal College of Surgeons of England

## **Publication/Creation**

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1785.

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/yntbee6w>

## **Provider**

Royal College of Surgeons

## **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



D. O. M.  
DE HYDRO THORACE  
*DISSERTATIO*  
ANATOMICO-CHIRURGICA.

---

I.

**A**VITIS ab institutis descissere , rationis leges abjicere , corpus faginare non nutrire , ex quo , suis obsecrati cupiditatibus , mortales cœperunt , ignota hactenùs & invisa morborum cohors terris incubuit ,

Semotique priùs tarda necessitas

Lethi corripuit gradum (1).

Quæ verò fors exitiosa altiores in hoc seculo egit radices ;

---

(1) Horat. Lib. 1. Qde III.

A



indè morbi acutissimi , apoplexia , pleuritis , febres malignæ , putridæ ; indè affectus melancholici , arthritici , hysterici , &c. , quibus præcavendis imò & sanandis vix valet ars salutifera.

Varios autem inter morbos , quibus obnoxium est corpus humanum , nullus ferè tùm cognitu , tùm curatu difficilior est , quàm *Hydro - Thorax* , sive *pectoris hydrops*. Sæpè sæpiùs clinicorum aciem effugit , vim medicaminum eludit , irritisque omnibus artis conatibus , ægros miserè opprimit. Undè plures scriptores , infelici experienciâ edocti , hunc morbum lethalem esse , pleno ore conclamant , & ægros nequidem remediis fatigandos volunt. Nos autem aliorum stabili fiduciâ prædicatorum vestigia secuti , hujus morbi notitiam & medelam tradere confidenter suscipimus. Sed de hydrope tantùm pectoris solliciti , speciatim à neotericis *Hydro-Thoracis* nomine insignito [1] , hydropem pericardii , mediastinique , necnon pulmonum hydatides consultò prætermittimus , ne plura complectentes , muneri suscepto jam jam graviori impares esse videamur. Thoracis anatomia primùm exponenda in genere.

## I I.

### *Thoracis generalis descriptio.*

PARS trunci corporis inter collum & Diaphragma sita , *thorax* dicitur , sive *venter medius*. Pars ejus posterior nominatur *dorsum* ; anterior , *pectus* , & laterales , simpliciter *latera*. Ex illis partibus aliæ sunt continentes , aliæ contentæ , & illarum rursùs aliæ communes , aliæ propriæ : Illæ , cuticula , cutis , membrana adiposa & pinguedo : Hæ , mammæ , muscoli , cartilaginee & ossa , quibus interiùs membrana simplex , densa , extùs cincta cellulosâ telâ , *pleura* vocata , ubique adnata est. Pe-

---

( 1 ) Vid. Sauv. Nosol. — Car. Pison. &c.



ritonæo durior, maximè ad dorsum, anteriùs mollior, sensu proprio destituitur. Claudat thoracem inferiùs Diaphragma, illiusque cavitatem ab abdominis cavitate distinguit.

Thorax formâ oblongus est, at multò magis in parte posteriori, propter situm obliquum Diaphragmatis, ibidem longè submissioris: undè in universum conum truncatum refert. Est equidem thorax in homine brevior, quàm in multis quadrupedibus, quibus pronè incedentibus, & plerùmque gulosis, ventriculus & intestina multùm distenta, liberum pulmonum motum impedirent, nisi spatium, per quod hi extendi possunt, foret nonnihil longiùs. In homine autem tale non est timendum periculum; quia naturaliter non debent in illo ita distendi viscera, eaque distenta recedunt naturali suâ gravitate à pulmonibus: rarò enim eum situm obtinet homo, quo viscera non pendeant aliquo modo versùs inferiora.

Apud plerosque homines, thorax exteriùs latissimus est in parte superiori, propter scapulas, & claviculas utrimque appositas. Cavitas autem ibidem angustior est, fitque paulatim versùs abdomen latior. Posterior & exteriùs ferè planus est thorax, anteriùs & præcipuè lateraliter convexus, parte posteriori concavus, propter bases vertebrarum dorsalium, ibidem introrsùm eminentes.

Quatuor in cavitates præcipuas thoracem dividit pleura; unam ex utrâque parte amplam, licèt inæqualem, pulmoni dextro sinistroque recipiendis aptam. Inter has, ex tenuis illius membranæ duplicaturâ, nascitur mediastinum, sive intervallum sacci dextri sinistrique; supernè latiùs, thymum continet, glandulas conglobatas, adipem, vasa. Inferiùs iidem sacci divergendo à se invicem recedunt, mediamque in omni dimensione relinquunt cavitatem, quæ saccos separat, & pericardium



efformat cor continens. Corpori vertebrarum insidet quantum cavum triangulare, telâ cellulosâ, aortâ, venâ azigos, œsophago occupatum. Hoc dici potest *posterius mediastinum*. Triangulares productiones utriusque laminæ mediastini faciunt ligamenta pulmonis, unum utrimque. Cavitates quæ pulmones continent nusquam inter se communicant, & potest dextra aperiri, ejusque pulmo destitui, sinistrâ illâsâ. Hisce in cavitatibus jugiter fit humidi exhalatio, utque valeat sanitas, perpetua etiam fieri debet exhalati reformatio. Exhalatum enim si remaneat, aut liquor alius quilibet effusus, serosi vel alterius humoris hæc collectio, *hydrops* dicitur, de quo nunc agendum.

## I I I.

### *Hydro-Thoracis differentia & species.*

A duobus verbis græcis, nempe *ὕδωρ* id est *aqua*, & *θώραξ*, five *pectus*, deducitur *Hydro-Thorax*, & aquæ collectio in quâdam pectoris cavitate definitur, præcipuè verò inter pulmones & pleuram, ut jam superiùs adnotavimus.

Varie plurimis ab auctoribus statuuntur *Hydro-Thoracis species*, nempe simplex, five vulgaris (1), *Hydro-Thorax ab omento* (2), *chylosus* (3), *Hydro-Thorax febri succedens* (4), *Hydatidosus* (5), *Hydro-Thorax mediasti-*

(1) Car. Pison de morbis à colluvie serosâ, *Hydrops-Thoracis*, pag. 215.

(2) Rhod. obs. 24. cent. 2.

(3) Willis-cap. 13. de *Hydrope pectoris*, tom. II. p. 153.

(4) Varnier, *Journal de Méd.* Oct. 1757. pag. 261.

(5) Car. Pison, *Hydatides pulmonis*, pag. 226. obs. 53. *Lælium à fonte consult.* 2.



ni (1), pleuræ (2), Hydrocardia sive pericardii Hydrops (3), Hydro-Thorax tandem à scabie reperiuntur (4).

## I V.

### *Hydro-Thoracis complicationes.*

VARIAE sunt etiam hujus morbi cum aliis complicationes. Sic cum Hydrope ascitâ (5), cum empyemate (6), à quo tamen signis peculiaribus potest distingui, sæpè complicationes habet Hydro-Thorax. Sic facillimè perturbatur asthmâ, præcipuè asthmâ pneumatico à Willis designato, sive cum à pectore sibilo. Socias adhuc sæpè habet Hydro-Thorax, anasarcam, & leucophlegmatiam, quæ alias hydropis species procreant. Frequentior fit hydrocardiæ, sive pericardii hydropis cum Hydro-Thorace complicatio (7), quàm cum vel mediastini vel pleuræ hydrope. Quibusdam phænomenis nonnunquàm

(1) Riviere, cent. 1. obs. 60. Columb. Anat. Lib. II. cap. 3. Bouillet diff. 1758.

(2) Fred. Hoffman, cap. 14. de Hyd. De Bergeron, Dissert. de Hydrope Pectoris. Haller, Opuscul. Pathol. pag. 25.

(3) Zacut. Lusit. cent. III. obs. 19. Vieussens, Traité du cœur. Senac, idem, tom. II. pag. 361. Bouillet, Dissert. 1758.

(4) Morgagni Epist. 14. Storke, act. nat. curios. item. 5. obs. 47.

(5) Journal de Méd. tom. IX. pag. 330.

(6) Idem tom. XVIII. p. 451.

(7) Idem tom. XI. pag. 421.



adnotatur (1) Hydro-Thorax, quæ indicationes contrarias offerunt, quod à genere complicationis oritur.

## V.

### *Hydro-Thoracis causæ.*

INTER Hydro-Thoracis causas annumerandæ obstructions, vasorum pulmonis ingurgitatio, scirrhiates. Quidquid generatim pulmonis textum relaxat & debilitat, exercitia nimirum vel immoderata, vel nimis assidua, pectoris hydropem producit, propter fibrarum tonum perditum, & indè feri effusionem. Hydro-Thoracis causæ adhuc assignantur, subita & improvisa scabiei percussio, arthriticorum dolorum inopinata intermissio, ulcerum inveteratorum promptior dessecatio, fonticulorum denique non præparatus finis. Hoc verò mirum, quod pedum œdematosam tumefactionem, si quocumque modo dissipare tentetur, anxietas quædam, dyspnœa, pectoris anhelitus superveniant, & paulò post Hydro-Thorax; eundem producere potest vulneris citior coalitio (2). Pleuritidi, & pleurimonix non rarò etiam succedit Hydro-Thorax, sicut & morbis acutis.

## V I.

### *Hydro-Thoracis Diagnofis.*

ANTEQUAM ad curandum morbum quemcumque se accingat artis Professor, necesse est ut certam ejusdem instituat diagno-

(1) Journal de Méd, tom, VII, pag. 533.

2) Vid. Act. Edinburg, tom. II, pag. 324.



sim. Hoc verò arduum plerumque , impossibile nonnunquàm fatemur in Hydrope pectoris. Quonam enim criterio , tanquam face præunte , quibus signis ductus Chirurgus , Hydro-Thoracis existentiam & sedem assignare possit , valdè dubium. Hydropem pectoris à pericardii hydrope vel ab alio discernere , *hoc opus , hic labor est*. Non datur tunc , ut in ascitâ pectoris intumescencia , quâ congesti fluidi moles tactui respondeat. Denegatis igitur signis quibus latentem morbum sensibus detegere daretur , varia illius , in omnibus ferè illo truci morbo laborantibus , perpendenda sunt phænomena vel symptomata , ut ex illorum seriâ meditatione hostis insidias benè calleat Chirurgus , & quibus armis debellandus simul cognoscat.

Hæc verò præcipua sunt symptomata , ex quorum concursu in propatulum venit Hydrops pectoris , ea nimirum quæ huncce morbum ut plurimum stipari testantur auctores , sollicitâ ægrorum observatione accuratâque cadaverum sectione edocti.

Primò quidem respiratio difficilis , eoque magis premens , quò magis ingravescit morbus , ita ut in unum vel in alterum latus decubitus ægro sit impossibilis , ultimisque vitæ diebus , pronâ cervice spirare penè suffocatus cogatur. Tussi deinde laboratur molestâ , sæpissimè siccâ , aliquandò tamen cum sputis materiæ catharrali similibus ; his addantur faucium exasperatio & siccitas , sitis ingens , nulloque potu sedanda , pulsus digito explorante parvus , celer , frequens ac humilis , sæpè sæpiùs inæqualis & intermittens. Pallent adhuc ora : languent oculi , urina parca emittitur ; scrotum inferioraque tumore œdematoso afficiuntur : nonnunquàm resolutio unius alteriusve brachii accedit. Eâ denique suffocatione , ineunte somno , corripitur æger , quâ brevi oppressus jaceret , nisi è lecto derepentè surgens , auram jiberiorem captaret avidus. Hæ tamen in spirando difficultas & crebritas procedente die remittuntur.



Hoc ultimum signum Hydro-Thoracis pathognomonicum pronuntiat Carolus Piso. *Quod signum*, inquit (1), *cùm ratio mihi dictaverit, tùm experientia in omnibus comprobavit*. Idem testantur Riverius (2), Musitanus (3), & Morgagni (4), aliique multi & quidem optimi auctores. Hoc tamen deficere signum rarum non est. Inter octo quas memorat historias Piso, in tribus duntaxat hancce spirandi difficultatem legere est. Etsi illam inter certa criteria referat, hujus aliorumque auctoritati nimium serviens Jacobus Vicarius (5) *ob istud imprimis signum jurare se posse credebat infallibiliter ægrum Hydrope pectoris laborare: attamen in mortui qui hanc difficultate laboraverat cadavere, ne drachmam unam aque aut feri invenit, & numquam satis laudabundâ ingenuitate mirabundus, exclamavit: quàm fallacia sunt subinde signa diagnostica!*

Ex omnibus autem allegatis de Hydro-Thorace signis, nullum ferè certius dari potest, quàm aquarum fluctuatio, quandò sive ab ægro, sive à Chirurgo, persentiri potest. Aure enim propè pectus admotâ, strepitus quidam aliquoties distinguitur, ab ægri agitatione plus minùsve sensibus obvius. Hanc succussionem, thoracis Hydropis certum protulit signum Hippocrates, quandò inquit (6): *si multo tempore, aure ad latera adhibitâ, audire tentaveris, ebullit intùs velut acetum.....* quanta & qualiscumque sit Divi Hippocratis scriptis debita reverentia, nullus ab

(1) Locò jam citato.

(2) Prax. Med. lib. 7. cap. 6.

(3) Trutin. Med. lib. 4. cap. 3.

(4) Epist. XVI. tit. 9. 11. 25. & seq.

(5) Morgagni de sed. & caus. morb.

(6) De affect. intern. de morbis. lib. II.



illius ævo Artis Professor hunc sonum auribus pectore appo-  
fitis percepit, unde vel rarum admodum, vel sensibus im-  
pervium, illud signum affirmare non dubitandum. Paucis  
tamen abhinc annis, Clar. Medicus *Awenbrugger*, in Vin-  
debonæ Nosocomio Imperiali Practicus, Dissertationem publi-  
cam fecit de mediis cognoscendi per pectoris succussionem;  
an in eâ cavitate colligatur aqua, vel non. *Quò obtusior est*,  
inquit (1), *sonus à pectore elisus, eò certior est hydropis*  
*existentia.*

Quæcumque verò hæc sint, pro certo habeatur certam tunc  
tantummodò esse Hydrothoracis diagnosim, si varias hydro-  
picorum historias à Medicis oculatis & fide dignis recensitas  
attentè quis perlegerit, diversaque symptomata pro diversis  
ægrotis, diversis etiam pro morbi temporibus, accuratè  
pensitaverit atque inter se contulerit, si ex consociatis illis om-  
nibus & singulis symptomatibus, ex illorum eximio connu-  
bio, tutissimum eruere potuerit morbi indicium, vel saltem  
minùs dubiam conjiciendi rationem. Sed frustrà sæpè sæpiùs  
hoc speratur, siquidem tantâ symptomatum catervâ obrutus  
æger, vitæ limites jam attingit, miserumque ab orci faucibus  
eripere vix tunc valent ars & natura.

## V I I.

### *Hydro-Thoracis Prognosis.*

INDE concludere fas est ferè semper lethalem esse hydro-  
thoracem; nam plerumque moriuntur ægri, 1°. quandò aqua

---

(1) Hæc dissertatio locum invenit in *tractatu de pectoris morbis*. Auc-  
tore Cl. *Roziere de la Chassagne*. Paris, apud Humaire.



fluviali similis evacuatur; quæ in vaporem soluta, nullum vel minimum relinquit sedimentum. Tunc enim brevissimo tempore tumescit abdomen, exteriorque leucophlegmatia augetur: 2°. quando fœtidum exhalant odorem aquæ: 3°. si filamenta in aquis natantia deprehendantur, quod partium suppurationem & deliquescentiam denotat: 4°. si febris cum horripilatione adveniat: 5°. si urinæ sint rubræ, lateritii coloris, & parvæ; 6°. si jam antiquior sit morbi gradus; 7°. si cum ascitâ vel alio pari morbo complicationes habeat. Quid plura? Centum vix sufficiant horæ, si omnes aggrediamur enumerare casus, in quibus lethalis vel saltem maximè periculosus habendus est pectoris hydrops (1). Undè promissorum vanitatem in hoc morbo sæpè sæpius luget artis professor, ægrotantis lecto assiduè incumbens.

Exhausti tamen stagnantis in pectore feri exempla passim leguntur (2). Juvenile corpus, suis gaudens viribus, visceribus fanis, organis integris, à subito depluente colluvie ferosâ, post morbum acutum, liberari posse, imò liberatum fuisse experientiâ constat. Tentamina ergo prudenter in auxilium vocata, vel desperatâ ægri conditione, non rejiciat Chirurgus, quia, quando certa imminet perniciēs, *satiùs est anceps experiri remedium quàm nullum.*

## V I I I.

### *Hydro-thoracis curatio.*

UT hydrops quilibet sanetur, duo medenti incumbunt

(1) Vid. Act. Acad. Reg. Scient. 1703, p. 170.

Vid. Biblioth. choisie de Med. tom. XV.

(2) Vid. Journal de Med. tom. IX, XVIII, XXXII, LX, &c.



absolvenda, 1°. serum collectum foràs eliminare, 2°. novam, si possit, feri collectionem impedire. Priori adimplendæ indicationi apud therapie præceptores non defunt medicamenta interna, omnibus pariter in hydropibus commendata, aperientia nempe, diuretica, purgantia, inter potentiora præsertim hydragoga, quin & vomitum crientia, sudorem moventia, & alia ejusdem generis plurima (1). Sub primis hydro-thoracis temporibus, integris viribus, quædam spes elucescit ut serum stagnans his remediis evacuetur. Iis verò non diutiùs immorandum esse ubique & meritò commendant melioris notæ Practici, ne debilitatis ægris, pulmonibusque maceratis & in putridum tabum jam diffluentibus, ex paracenthesi seriùs celebratâ nulla percipi possit utilitas (2).

Consentientibus omnibus de parùm efficaci in hydro-thorace remediorum internorum virtute, nonne vel minimam in rebus Chirurgicis sagacitatem sibi vindicaret, qui pectoris hydropem adesse benè conscius, de paracenthesi celebrandâ anceps hæreret, quâ suspensâ, res ægri in pejus ruunt, quâ omisâ, penitùs evertuntur. Numquid satiùs est aliquo remedio etiam ancipiti certam mortem redimere? Felici cum successu hydro-

(1) De horum & aliorum medicamentorum usu & administratione consulantur libri Medici, in quibus horum formulæ secundum artem traduntur.

(2) In diario Medico, tom. LII, p. 326. Legitur peculiaris observatio Clar. Medici *de Fos*, de pectoris hydrope interno cantharidum usu sanato. Addit observationis auctor earumdem usum tum internum, tum externum, pro excellentissimo in eodem casu remedio, à celeb. Doct. *Petit*, proponi,



thoracis paracenthesim institutam fuisse testantur observationes plurimæ (1).

Pluribus in locis aquas è pectore educendas commendat Hyppocrates, cujus tanti valet in praxi auctoritas. Hic costarum terebrationem jubet ut per foramen aqua exire valeat. Illic regulas & præcepta tradit, ut felici cum successu celebretur; in *prognosticis* tandem ea narrat, ex quorum observatione, num bona, num mala futura sit præfagiri potest. Ad pectoris paracenthesim velut ad sacram salutis anchoram incunctanter ergo deveniendum est, statim atque præsens cognoscitur hydro-thorax; eductis aquis, alia remedia superius enumerata & sapienter adhibita facile curationem absolvere possunt, modò tamen hydrops totius machinæ corruentis non sit comes & argumentum. Ex dictis & ex multiplici tum veterum tum recentiorum experientiâ, illius asserti veritas sat superque comprobatur, nempe quòd ex unâ parte omnes illi ægri, quorum non evacuatum fuit pectus, ineluctabili fato occubuerint, dum ex alterâ parte plurimi ex iis, quibus perforatum est pectus, servati fuerint. Operationis sedes & methodus describendæ nunc supersunt.

## I X.

### *Pectoris Paracenthesis.*

PRIMUM observandum, antequam ferrum pectori admo-

---

(1) Vid. Med. diarium, tom. XVIII, p. 454. Biblioth. Med. t. XV, p. 478, 484. Lanz. Oper. tom. III, p. 601. Act. Academ. Reg. Chir. tom. II, p. 545.

Obs. Med. par Duval, p. 254.



veatur, num adhuc valeant ægri vires : nam si deficient, abesse vix potest, quin vel sub ipsam operationem vel statim post eandem expiret æger. Simili prorsus modò res sese habebit, si sudor frigidus, alvi solutio, partium internarum erosio atque corruptio, morbum desperatum & propinquam ferè mortem significant. Operationis institutione abstinendum tunc, ne, qui propter noxæ gravitatem fervari haud potuit, cum Chirurgiæ dedecore, & Chirurgi culpâ interiisse videatur.

Duo præsertim ante operationem attendenda, 1<sup>o</sup>. in quonam pectoris latere aquæ collectio deprehendatur, 2<sup>o</sup>. quænam præcipuè pectoris pars perforari debeat. Quò faciliùs atque certiùs cognoscatur in quonam pectoris latere materia perniciofa delitescat, considerandum quàm diligentissimè est, annotante celeb. Heistero (1), in quonam latere inflammationem atque dolores æger antea senserit, deinde ubinam gravitas quædam cum fluctuatione fuerit animadversa, tùm in quodnam latus cubare commodiùs patiens possit. In hoc ipso vitium delitescere solet : nam in latere sano decumbere nequeunt ægri, quia suffocationis periculum imminet. Tumor etiam plerumque aliqualis, externo œdemate complicatus, latus afflictum demonstrat.

Explorato jam latere affecto, punitionis locus statuendus, de quâ re dissentiant inter se auctores. Clar. *Sharp* doctâ & certâ *Marchettis* experienciâ confirmatus, aperturam fieri docet (2) à sterni & dorsi spinâ æquè remotam, inter sextam & septimam costam. *Boerrhavius* è contrâ, & ejus commen-

(1) Inst. Chir. p. II. Sect. IV. cap. CVIII.

(2) Traité des Oper. de Chir. p. 254. Recherches critiq. p. 295.



rator Doct. *Wanſwieten* pectus pertundi volunt (1) inter secundam & tertiam costam veram inferiorem. Pro costâ verâ spuriam designare voluisse hos auctores suspicatur Heisterus, si quidem omnes Practici consentiunt locum illum nimis altum esse, ut serum collectum certè evacuetur. Etenim sublimior pectoris pars si perfoditur, fieri vix potest, ut materia serosa in infimo pectore collecta commodè ejiciatur. Contrà verò si inferiùs punctio infligitur, periculum est ne septum transversum, quippè costis inferioribus adnatum, præsertim in dextro latere, propter hepar hic valdè propinquum, lædatur. Similiter ubi pars spinæ dorsi propior perforatur, difficilior longè atque magis anceps operatio est. Neque enim crassi tantum muscoli dorsi extensores pertundendi hîc essent: sed maximè etiam metuendum veniret, ne arteriæ vel venæ intercostales, ut pote sulcis costarum propè hanc regionem nondùm protectæ, simul aperiantur. Optimum ergo & tutissimum est, annotante & suadente Heistero, operationem sic instituere, ut in sinistro latere inter secundam & tertiam spuriam costam, in dextro verò latere tertiam inter & quartam costam spuriam, ab infimâ numerando, eo loco foramen fiat, qui palmâ circiter, aut quinque vel in majoribus hominibus sex digitis latis à spinâ dorsi atque ab infimo scapulæ angulo disjungitur.

Fatendum tamen hunc operationis locum sæpè sæpiùs inventu esse difficillimum, si non impossibile, præsertim quandò tegumentorum communium maxima adest tumefactio, ut jam observavit celeb. *Morand* (2). Quoquidem in casu validâ

(1) Aphor. pract. n°. 303.

(2) Totius pollicis spissitudinem in hoc casu habebat cutis tumefactio, undè costas non solum numerare, sed etiam distinguere impossibile erat.



extremi digiti compressione partes tumefactæ deprimendæ , & in loco depressionis, inter costas instrumentum propellendum.

Certo operationis loco designato, æger in lecto sedeat; corpus ejus pronum antèrùs inclinetur & ministris stabilietur, ut ipsæ costæ in dorso paulò latiùs deducantur, & spatium pro aperturâ faciendâ & humore ejiciendo ampliatur. Duæ sunt operandæ methodi, vel enim inciditur primò scalpello cutis, & postea acu perforatur pectus, vel cum carne atque pleurâ cutis simul externa per admotum triangularem acum uno eodemque ictu perrumpitur. Hæc operandi methodus ab optimis Chirurgis antepōnitur.

Acus igitur triangularis eademque tubulo inclusa, gallicè *Troicar* dicta, eò usque in cutem & carnes impellitur, donec in pectus hanc penetrasse advertatur. Tunc extrahitur acus, tubulusque relinquitur, per cujus foramen exeunt humores in pectore collecti, quamdiu scilicet ægri vires id permittunt. Simul atque enim animi deliquium imminet vel materiæ noxiæ sufficientem copiam profluxisse intelligitur, extrahatur tubulus in foramen insertus, & linamentum aliquod molle vulnèri imponatur. Filo aut funiculo circà pectus deligetur & emplastris quàm exactissimè firmetur. Insuper splenium aliquod crassum applicetur, fasciaque illa adhibeatur quam *mantile cum scapulari* Chirurgi vocant.

Pectoris paracentesis de novo sæpe repetenda: Empyematis operationem postea etiam celebrandam esse plerumque evenit. Quæcumque verò sint, in pectoris hydrope, ut suffocationis periculum discutiatur, celebretur semper ejusdem paracentesis, quam utilem & proficuum certæ & indubiæ proclamant observationes, quam verò lucusque timidiores Chirurgi nimis neglexerunt.



*HANC DISSERTATIONEM, Deo juvante & Præside M. PETRO  
SUE, secundo, antiquo Collegii Præposito & nunc Quæstore,  
antiquo Scholarum Præticarum Anatomia & Chirurgia Pro-  
fessore, Regiæ Academiæ Chirurgiæ Consiliario, & pro com-  
mercio extraneo Secretario, in generali Parisiensi Præfecturâ  
Chirurgo ordinario, necnon Academiarum Monspelliensis,  
Rothomagensis, Divionensis, Lugdunensis, Burdigalensis &  
Aurelianensis Socio; tueri conabitur GUILLELMUS BURARD,  
Divionæus, in almâ Universitate Parisiensi præclaræ Artium  
Facultatis Magister, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ  
in Universitate Remensi Doctör, Dissertationis Auctör.*

*Die Sabbati 4<sup>a</sup>. mensis Junii, anno R. S. H. 1785, à  
sesqui-secundâ post meridiem ad septimam,*

*P A R I S I I S,*

*IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.*

*PRO ACTU PUBLICO,*

*ET*

*MAGISTERII LAUREA.*



*Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ  
Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cythareâ.*

---

*M. DCC. LXXXV.*